quantitatum curuarum) posse aliquatenus suppleri; si modo
e data cuiuscunque figuræ proprietate essentiali, daretur me-
thodus eam transmutandi in aliam æqualem cognitas proprie-
tates habentem, & huius in aliam, & sic deinceps, donec
tandem transmutatio fiat in aliquam quantitatem cognitam;
sic enim exhiberetur quantitatis propositæ mensura quæsita,
non secus quam in æquationis analyticæ resolutione. neque
existimo meam opinionem esse frustratam, puto enim hunc tra-
ctatulum continere geometriæ partem adeo uniuersalem, ut
nullam respuat particularem figuram eorum generum, quæ a
geometris adhuc contemplata sunt; quod si alia figurarum ge-
nera contemplanda sibi proponant, promouenda est hæc scien-
tia; sicut enim figurarum genera sunt infinita, etiam hæc geo-
metriæ pars, sicut omnis alia, infinita erit; nihilominus mul-
to breuius & elegantius erit uniuersalem doctrinam unicui-
que particulari casui secundum figuræ proprietates applicare,
quam de unaquaque figura integrum uolumen euulgare.
Huius methodi studiosus ante omnia uersatus esse debet in
analyse, nam absque illa, cuius uis ingenii uires superat,
propositæ cuiuscunque figuræ proprietates examinare.

Non diffiteor me legisse apud præstantes geometras multa
talis methodi uestigia, sed plerumque uel particulariter uel
parum geometricè demonstrata; quæ mea sunt & quæ aliena
iudicet lector, qui hunc tractatulum cum aliorum compara-
uerit, ego enim nihil affirmo, ne uidear ea mihi adscribere,
quæ ab alijs (me etiam inscio) antea reperta sunt. Demon-
strandi methodo utor (ni fallor) mihi peculiari, quippe multo

bre-